

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0926
	0924
	0930
	0920
353	
Josuae X., partem autem fortiorum, quae erat superior, cepit. postea Caleb interfectis fortissimis gigantibus ex ea, ut habetur Josuae XV. et Judicum C. I. Pro eo enim, quod Caleb compescuit in deserto murmurantem populum contra Dominum et secutus est Dominum, testimonium perhibens de bonitate terrae sanctae, cui alii detraxerunt, promisit ei Dominus montem Hebron tamquam praecipuam terrae partem, ut habetur Num. XIII. et Josuae XIV. Dicit etiam Nicolaus Lyra, quod, quando venerunt exploratores terrae missi a Mose in regionem, ipse Caleb solus Hebron ascendit ad speluncam duplicem et orationem ad sanctos patriarchas fudit et tunc promeruit fieri loci illius sancti possessor.	0935
Situs illius civitatis est partim in clivo montis et partim in valle, nec est multum magna, sed populosa et fortis, statim post diluvium aedificata in civitatem; quamvis ante diluvium fuerit ibi hominum habitatio sine civitate, tamen ibi filii Adae degebant et inde per orbem sunt dispersi, unde Cain fratre imperfecto cum uxoribus et filiis in Indianum commigravit profugus a facie Domini.	0915
(10 a) Notandum insuper, quod haec civitas ultra ea, quae dicta sunt, pluribus invenitur nominibus nominata. Quandoque dicitur Arbee, i. e. quatuor, propter gigantes ibi sepultos, corrupte autem dicitur Arbeth, ut Jeronymus ad Pammachum dicit de optimo genere interpretandi; quandoque Cariatharbe, i. e. civitas quatuor, propter quatuor patriarchas ibi tumulatos. Quandoque dicitur Mambre, propter vallem Mambre, quae jungitur civitati, et propter querum Araham in Mambre, quae usque ad aetatem infantiae beat. Jeronymi, ut idem dicit de distantiis locorum, et usque ad imperium Constantii regis monstrabatur, therebintus perveritus et annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham et sub ea angelos hospitio suscepit et mauseolum ejus in praesentiarum cernitur. Miro autem, inquit Jeronymus, cultu a cunctis gentibus per circuitum therebinti locus colitur superstitione et habetur velut quodam insigni nomine consecrata. Et forte hoc nomen Mambre fuit primum illius loci nomen ab Adam sibi impositum, quia Mambre juxta hebraicam interpretationem idem est, quod perspicuitas. Adam	0975
	0875
	1025
	0825
	0425
	Ende
	Anfang